

Ralle



9827

De his qui Islam prohibentur 24

1731, 20

FACULTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS


Streit, JCtvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



Ajus libro secundo institutionum ait:
Si queramus an valeat testamentum, in
primis animadvertere debemus, an is qui
fecerit testamentum, habuerit testamenti
factionem. L. si queramus 4. ff. qui te-
stam. facere poss. Huic quæstiōni si in-
sistere velimus, offert se notissima re-
gula illa, quæ dicit; omnes testari possunt, qui non prohi-
bentur. Prohibentur autem quidam naturā, quidam lege.
Naturā vel ob defectum corporis, vel animi. Ob defec-
tum corporis itaque testari prohibentur muti surdi, pu-
ta, si sint conjunctim tales, & literas nesciant. L. 10. Cod. de
testam. tales enim humanitū loquendo nec sciunt, quid sit
testamentum facere, vel licet scirent, mentem tamen
suam neque scribendo, neque nuncupando manifestare
possent. Parum siquidem à fatuis, aut brutis absunt, qui
bus vitia hæc à cunis adsunt. Cæcus quidem confidere
non potest testamentum scriptum: potest tamen nuncu-
pativum, dummodo formam observet in L. 8. Cod. de te-
stam. præscriptam. Cùm enim animadverteretur, testa-
men-

mentum cæci pluribus fraudibus esse obnoxium iisdem
præcludendis singulares solennitates placuit præscribere.
Ob defectum animi testari prohibentur furiosi, mente ca-
pti, infantes, ebrii ebrietate perfecta. Nam ad quemlibet
dispositionis humanæ actum usus rectæ rationis requiri-
tur. Quavis autem ultima voluntas dicitur dispositio
mortis causa facta. Item testamentum dicitur testatio
mentis, *inf. in pr. de testam. ordin.* vel voluntatis nostra ju-
sta sententia. *L. 1. ff. de testam.* quam tales personæ non ha-
bent, ergo etiam, jure naturæ spectato, neque testamen-
tum condere, neque quidquam per ultimam voluntatem,
sicut nec per actus inter vivos disponere possunt. Furio-
sus autem intelligitur non tantum is, qui vehementioribus
motibus per mentis alienationem agitatur, sive cum rabie
agit, sed etiam is, saltem impropre, qui sine rabie vitam
agit quietus, rationis tamen usu destitutus est, & mente
captus dicitur. Si dilucida intervalla furiosus habeat, tem-
pore dilucidii intervalli testamentum condere non prohi-
betur. *L. 9. Cod. de testam.* similiter si ante insaniam testa-
mentum fecerit, id firmum manet, et si possea insuorem
lapsus sit. *§. 1. inf. de testam. L. 20. §. 4. ff. cod.* per suorem
siquidem conditio civilis non immutatur, sed tum status,
tum fortuna testatoris intacta relinquitur. Controverti-
tur, si testamentum producatur conditum à furioso, de
quo certo constat, quod intervalla furoris habuerit, nesci-
tamen, quo tempore, insanæ, an interstitii id fecerit,
censendumne sit confectum à sano, an potius à furioso
vel demente? varii variè sentiunt, alii distinguunt. In
praxi videtur hæc disputatio frustranea, cum de qualitate
& conditione ejus, qui disponit, constare oporteat, quem
testes videre & audire debent, qui si de sedato affectu &

cupido

(2)

animo

animo attestentur, satis superque intervallum furoris probatum intelligetur, cuius etiam conjectura, ex re ipsa & qualitate dispositionis poterit desumi. Ita Bachov. in Treutl. Vol. 2. disp. 10. thes. 5. lit. C. Caterum dubitatur, an ingenii stoliditas testamenti factionem auferat? Si quis dicat, quod stupidi parum à mente captis distent, quibus solet curator decerni, atque bonorum administratio adimi, adeoque similes videantur prodigiis, quibus testamenti faction non competit, is audiendus non est, ingenii enim stupiditas testamenti factionem non auferat, & stupidi testari nullo jure prohibentur, non jure naturæ: quia per ingenii stuporem ratio quidem hebetatur: at non omnino tollitur. Non etiam positivo: quia curatela non statim adimit testamenti factionem, cùm etiam minorennes eidem subjaceant, nec tamen testamentum facere impediantur. Ob vitiositatem morum testari prohibetur prodigus juridicè talis, cui nempe à Magistratu adempta est bonorum administratio. Prodigus verò ethicè talis potest testari, cùm nullo jure prohibeatur. Non jure naturæ: quia prodigalitas non tollit dominium, atque adeò nec potestatem de rebus suis disponendi. Non etiam jure positivo, quia, ut jure hoc prodigus censetur, requiritur interdictum magistratus, vel saltem decretum declarativum prodigalitatis. Si ad frugem reversus sit, non aliter testari poterit, quam si à prætore eidem redintegrata fuerit bonorum administratio. Porro ob vitiositatem morum jubetur esse intestabilis damnatus ob carmen famosum. L. 18. s. 1. ff. de testam. L. 21. ff. de Testib. item testari prohibentur usurarii manifesti jure canonico, non quidem perpetuo, sed eo usque, donec substantiam scenore auctam restituant, aut restituturos sese, caveant, cap. fin. de usur. in 6 estque

estque eorum testamentum adeo nullum, ut ne quidem
legata pia ex eodem debeantur, quia in cit. cap. non mo-
do ibi præscripto consecutum, simpliciter & absolutè asse-
ritur irritum: ergo erit etiam irritum in ordine ad legata
pia. Insuper propter vitiositatem morum testari prohibe-
tur, qui incestas nuptias scienter contraxerunt. Ubi ta-
men jus Codicis secernendum à jure Novellarum. Jure
Codicis, qui incestas nuptias contraxerunt, non absolutè
ad testandum sunt inhabiles, sed possunt saltem instituere
personas in L. 6. Cod. de incest. nupt. expressas, puta, descen-
dentes usque ad tertium gradum, parentes ad secundum, &
ex collateralibus fratrem, sororem patrum, amitam. d. L. 6.
jure novellarum planè amplius testari non possunt, quia bo-
na omnia statim amittunt, ac Fisco vindicantur: nisi for-
tè liberos habeant, ex justis nuptiis legitimos, qui fisco
sunt potiores Nov. 12. Cap. 1. Quin hodie non descenden-
tes tantum, sed ascendentis quoque usque ad quartum
gradum fisco præferuntur. Nov. 134. cap. ult. etiam Rei
perduellionis L. 20. ff. accusat. Rei repetundarum d. L. 20. &
alii testari nequeunt. Ob defectum sufficientis aetatis te-
stari prohibentur impuberes, sive, qui nondum comple-
verunt annum decimum quartum, si sint masculi, & duo-
decimum, si sint foeminae. §. 1. inst. quib. non est permis. fac.
testam. L. 5. ff. & L. 4. Cod. de testam. quia nullum eorum ju-
dicium animi. d. §. 1. illabitur nempe animis nostris ra-
tionis lumen non uno impetu, sed paulatim & tractu tem-
poris, diei exemplo, qua non uno momento illucescit, sed
lente & successivè. Ob defectum statutus, qui vel est invo-
luntarius, vel voluntarius, involuntarium testari prohibe-
tur servi, capti ab hostibus, condemnati ad ultimum sup-
plicium, & de status suo dubii. Ob defectum statutus volon-
tarium

tarium à testamenti factione arcentur professi Religiosi.
Secundum quid testari prohibentur clerici, qui de bonis
intuitu Ecclesiæ ac titulo beneficij acquisitis per viam te-
stamenti, de jure canonico, disponere nequeunt cap. 8. q.
& 12. X. de testam. filiifamilias, qui de iis duntaxat bonis te-
stari possunt, in quibus fictione juris habentur pro Patri-
busfamilias. Sunt adhuc multi alii, quibus testamenti fa-
ctio inhibetur. Si verò eam quis habeat, requiremus, in-
quit Gajus dict. L. 4. an secundum regulas juris civilis testatus sit.
Sed hæc, & plurima alia huc spectantia überius ex Cathe-
drâ explanabit

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
**JOHANNES CAROLVS
ERNST,**

Advocatus immatriculatus Saxonicus,

Natus Misenæ d. XXIII. Junii M D C XCII. Patre nimirum
ANDREA ERNSTIO, Potentissimi Poloniarum Regis &
Electoris Saxoniæ Præfectura Misenensis, à Procurationi-
bus nominata, Præfecto longe meritissimo, quippe qui
per XXXIV. annos gravi illo munere pro ea, qua par est, dex-
teritate & diligentia adhuc dum defungitur, cui vitam lon-
gissimam & omnes in ea exoptandas prosperitates meritò
precatur. Matrem veneratur JOHANNAM gente ortam
KÖHLERIA, matronam piam ac prudentissimam, quam
ut Deus T. O. M. in totius familij solatium diu adhuc su-
peresse velit, optat. Avum paternum habuit JOHANNEM
CHRISTOPORVM ERNSTIVM, gravissimum Rei publi-
æ Nordhusanæ Consulem, maternum vero SEBASTIA-

NVM

NVM KÖHLERVM, Serenissimi Electoris Saxonie in Praefectura Nossensi Praefectum, qui ambo de muneribus suis
bene meriti ob rerum gerendarum dexteritatem & experientiam inclarerunt. Inter maxima, quæ ei evenerunt
Dei beneficia refert, quod indulgentissimorum Parentum
indefessa cura, simulac per ætatem fieri potuit, privatæ
præceptorum institutioni traditus, fideique Christianæ ac
humanioris doctrinæ elementa edoctus fuerit, postea ve-
rò in Illustri, quod Misena est, Lyceo celeberrimos &
præclarissimos ejusdem Professores, inter quos præsertim
M. JOHANNEM DAVIDEM SCHREBERVM, postea Re-
ctorem in Illustri Lyceo Portensi, nunc pie defunctum de-
prædicat, audivit & ad vitam Academicam majoremque
rerum notitiam capessendam præparatus est. Ao. MDCCIX.
Lipsiam se contulit, ubi per quadriennium & quod ex-
currat, Scholas tam Philosophicas quam Juridicas Virorum
Magnificorum Excellentissimorum & Præstantissimorum
MENCKENIORVM, TITII, SCHACHERI, KLEPPER-
BEINII, MÜLLERI & aliorum sectatus, eorum recitatio-
nibus tum publicis, tum privatis interfuit, atque ex his Ju-
ris scientiam hausit. Absolutis demum studiis Academi-
cis & peracto cursu juridico, Dissertationem Juridicam DE
CONTRACTIBVS PATRIS ET LIBERORVM IN POTESTATE EJVS
EXISTENTIVM Mense Novembr. MDCCXIII. conscripsit
& in Auditorio JCtorum Lipsiensi publicè defendit, di-
scessum deinde parans Facultatis Juridicae Lipsiensis di-
squisitioni se subjecit, cumque unanimi consensu per pu-
blicas attestaciones omnino dignus ad causas in foro per
tractandas judicatus fuisset, in Regia & Electorali, quæ
Dresda est, Cancellaria, præstitis præstandis, albo Advocata
orum inscriptus fuit. Ex quo tempore patriam fortu-
narum

narum sedem elegit ibique Divinâ favente gratiâ praxin
Forensem feliciter exercuit, ac dirigendis judiciis non-
nullarum Generosissimarum Familiarum magni nominis
admotus fuit, quo autem majori autoritate illo in vitæ ge-
nere pergere possit, summos in utroque Jure honores si-
bi comparare decrevit. Quare Facultatem Juridicam hu-
jatem adiit, & ad rigorosum examen Doctorandorum ad-
mitti decenter petuit, annuit Facultas, & textus ex utro-
que Jure elaborandos eidem transmisit, quos juri con-
gruenter & doctè declaravit, ac ad dubia ex utroque Jure
formata & quæstiones propositas appositè respondit,
suamque in jure acquisitam scientiam Facultati egregie
approbavit, adeò ut Gradu Doctorali dignissimus judi-
catus sit, proximâ itaque die Mercurii, quæ erit XI. Ju-
līi Lectionem Cursoriam ad dictam Legem si quaramus
4. ff. qui testam. fac. poss. horis consuetis eaque fi-
nitâ, Disputationem Inauguralem DE EO QVOD JV-
STVM EST CIRCA INCENDIA, habebit. Ad quos
actus solennes Magnificus Universitatis Dominus Rector
exterique Domini Proceres & Cives Academicci perhu-
maniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juri-
dicæ VIII. Julii MDCCXXXI.




ULB Halle

3

005 367 751



VDN 8





9827 De his qui leflam præliberant 24

1731, 20

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
*S*treit, JC_TVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.